



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Manvale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitivm  
Spiritvale Christianae Pietatis**

**Véron, François**

**Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]**

7. Ratio breuis commendandi se B. virg.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](#)

*Pudor &  
verecūdia  
eius in om-  
nibus.*

*Conclusio.  
Marie vi-  
ta omnium  
esse debet  
disciplina.*

Quid quod annis quoque omaibus ibat in Hierusalem solemnni die Paschæ, & ibat cum Ioseph? Vbiique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic indiuiduus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit.

Talis denique fuit Maria, vt eius vnius vita omnium disciplina sit. Si igitur auctor non displicet, opus probemus, vt quicunque eius optat præmium, imitetur exemplum. Hactenùs B. Ambrosius.

## PARS SEPTIMA.

*Ratio breuis, & efficax commendandi se  
B. Virginis, crebrò à bonis Sodali-  
bus instituenda.*

**F**Acto signo Crucis, ac mente, corpo-  
re que ad Orationem composite, ima-  
ginabor B. Mariam coram me positam, ac  
omnino paratissimam ad indigentiam, &  
paupertatem meam subleuandam; si modo  
illi me gratum præstitero, ac eam feruide  
quicquid oportuerit, rogauero.

**G**RATIAS itaque illi agam de cunctis be-  
neficiis, quæ illa mihi à Christo im-  
petra-

petrauit; præcipue verò de iis, quæ peculia-  
riter intelligo me ipsius intercessione ob-  
tinuisse; qualia sunt; maior feruor & deuo-  
tio, maior affectus erga res sacras, studium  
virtutum; humilitatis cum primis, castita-  
tis, mansuetudinis, Caritatis, Sobrietatis;  
ardentius desiderium promouendæ meæ  
salutis, & aliorum: præclarus ingenium,  
memoria felicior, intellectus acutior, dili-  
gentia maior in studiis, & eiusmodi, quæ,  
ab dato nomine eius Congregationi, au-  
cta esse in me video & sentio.

Totum illi me tradam, atque offeram,  
orans ut mei tutelam, patrociniumque su-  
scipere, meque suo præsidio munitum, ab  
omni tum animæ, tum corporis periculo  
tueri dignetur.

Aliqua beneficia pro me, cæterisque  
proximis meis petam, vel certè conserua-  
ri, & augeri rogabo; præsertim ut mihi à  
suo filio profundam humilitatem, purissi-  
mam castitatem, & in recto virtutis itine-  
re profectum, ac perseveratiā impetrēt:  
præterea ut nonnihil doloris illius mihi  
impertiat, quem ex filij cruciatibus cepit:  
præparationis etiam atque ardoris scintil-  
lam, quo Sacrā Eucharistiam post Ascen-  
sionem Domini nostri sumebat. Denique  
augmentum deuotionis, & affectus erga  
candem sanctissimam virginem. Hæc au-  
tem

. 9

tem beneficia per septem eius gaudia , do-  
loresque totidem petam, quibus est affecta  
dum viueret.

*Oratio, quæ à singulis Sodalibus recitari  
& potest, pro perseuerantia in cultu Dei,  
& B.Virg.Mariæ impetranda.*

**D**eus, qui nos sub alis sanctissimæ ma-  
tris filij tui constitutos ad brauium  
superioræ vocationis accendis, pectoribus  
nostris purificandis illabere, & gratiam  
nobis, qua in te, & seruitio eiusdem sacra-  
tissimæ virginis Mariæ perseueremus, in-  
fundes; ut protectionis vestræ muniti præ-  
sidiis, quod te, Domine, donante promisi-  
mus, impleamus; & nostri propositi exe-  
cutores effecti, ad ea, quæ perseuerant  
bus in te, promittere dignatus es, pertin-  
gamus.

*Alia Oratio.*

**B**eatæ, & gloriæ, semperque Virgi-  
nis Mariæ, quæsumus Domine, inter-  
cessio gloria nos protegat, & ad vitam  
perducat æternam. Per Christum Dominum  
noscum. Amen.

PARS

20